193

DEO OPTIMO MAX. 48

UNI ET TRINO,

VIRGINI DEI-PARÆ, ET S. LUCÆ,


Orthodoxorum Medicorum Patrono.

QUÆSTIO MEDICA.

QUODLIBETARIIS DISPUTATIONIBUS, manè diſcutienda in Scholis Medicorum, die Veneris vigeſimâ-nonâ menſis Decembris, Anno Domini M. DCC. XLVII.

M. DIONYSIO PAUTIER DE LABREUILLE, Doctore Medico, Præſide.

An Variolarum morbus, absque eruptione?



I.

MATERIÆ variolarum fermentativa indoles. Subtiliſſimo miaſmate ſenſum omnem fugiente ſanos humores ita inficit, ut contagium ab his iterùm facilè propagetur. Cum autem, monente Galeno, nulla cauſa ſine corporis aptitudine agere queat, hinc fermentum idem varia ſubjecta non uno modo afficit. Inſunt quippe humoribus corpori noſtro inquilinis particulæ non mole tantùm ac formâ diſpares, ſed & dotibus genioque. Aliæ moris ambigui, quicquid humanum agere & pati ſatis dociles, at nimiùm flexiles in vitium quodcumque, ſi qua ſeſe offerat occaſio, caſtris temerè mutatis, hoſtilem animum induent: has facilè pervertunt varioloſa fermenta & in ſimilem ſui indolem fingunt. Aliæ propoſiti tenaces, nedum ipſæ à recto deflectant, quin potiùs miaſmata (ah, ſi fata ſinant!) manſuefacerent, moremque humanum inſpirarent. Prout ergò hæc illave ſpecies abundaverit, minus erit vel majus à contagione periculum. Nec aliundè repetenda cauſa eſt cur nonnulli ægris ab hocce morbo decumbentibus perpetuò aſſidentes, nec ferè quidpiam niſi contagium inhalantes, impunè tamen in athmoſphæra iſta varioloſa verſentur, quibus nimirùm deſunt moleculæ ab hujuſmodi veneno infici aptæ natæ. Jam verò variolæ propriè dicuntur udæ quædam papulæ varis perſimiles, in cute ſenſim increſcendo, prominentes ſub epidermide & ad ſuppurationem vergentes; quarum tamen materia non niſi poſt concitatas in corpore turbas inſignes ad cutim deponitur. Undè eſt quod morbi à variolis dicti ſtadia plura numerentur, vulgò quatuor maximè diſtincta: primum efferveſcentiæ, ſecundum eruptionis, tertium ſuppurationis, quartum exſiccationis vocant; 1°. Quidem ſive recens ſuſcepta, ſive poſt longiores in corpore moras noviſſimè efferata materia variolarum functiones plurimas lædit, nervoſoque generi inprimis infenſa, tumultus horrendos ciet, contrà verò in iras aſſurgit cor primarium vitæ organum, recollectiſque viribus inſtigatus ab eo ſanguis inhærentem ſibi noxam circumagendo, verſùs exteriorem corporis habitum trudit, propriæ puritiei vindex acerrimus. 2°. Pulſa à centro corporis arceque vitali lues in cute hæret, paſſimque papulas inſpergit continuâ materiæ congeneris acceſſione faſtigiatas; dum ſcilicet nec cuticulam pervadere datur, nec eas vaſorum anguſtias ſuperare, ubi poſt innumeras diviſuras exilis canaliculus mutato nomine veſtigia relegens, qui modò directus arteria, reflexus jam vena audit. 3°. Eò loci coercita varioloſa colluvies non adeò miteſcit quin omnia circumpoſita aſſiduò laceſcens carceribus inſultet, minimaque tandem erodendo vaſcula deſtruat & in pus vertat. 4°. Stagnante pure, tenuiora fluxilioraque ſpontè ſecedunt, avolant; craſſiora verò ſibi relicta magis ac magis areſiunt, ut exſucca tandem cum ipſa epidermide deſquamata prorſùs decidant; tuncque demùm redintegratur naturalis ſolidorum actio, fluidorum lenis circuitus. Non deſunt tamen authores qui præcipua duo diſcrimina reſpicientes, cætera huc revocent, morbumque quaſi geminum ſtatuant. Quid enim? Pugnatur, ſubacta abſcedit illuvies; pugna recrudeſcit, debellata lues exterminatur. Quocircà operæ pretium facturi videmur ſi unico certamine poſſe quondam rem omnem abſolvi monſtraverimus, febriſque unius ope, pro metaſtaſi perfectam criſin obtineri,

quâ positâ, & pustulæ, & cæterorum indè pendentium symptomatum series præcaveatur.

I I.

QUOD ad seminii variolosi *essentiam* attinet, inscrutabile quid, τὶ θεῖον inest, de quo curiosiùs disserant, quibus vacat. Medenti, Philosopho Clinico, satis erit, si ex dotibus conspicuis obviisque effectibus, seorsim accuratè perpensis, mox sedulò collatis invicem ac diversimodè combinatis, dædaleos anguis subdoli reptatus certò vestigare discat, latenter insidiantem subodorari, ferocientem retundere, aut si minùs æquæ vires, non tamen adeò iniquis conditionibus pacisci. Cutaneæ eruptionis ope transfertur, magis quàm conficitur, desultor morbus; nec ea est variolosa lues quæ loco pulsa, ferociam confestim exuat; imò pomœriis undique circumfusa commeatus omnes intercludere satagit, mox etiam postliminio regressa, ipsisque iterùm imminens penetralibus, stragem intentat immanem. Natura verò per totum morbi decursum, quid nisi crisin meditatur? Nonne tota videtur in id opus incumbere, ut avernale inquinamentum quocumque pretio, quâcumque viâ solum vertere cogat? Id ut præstet, quos non inclamat Divos? Quod non pulsat ostium? En aspice jam ab initio per tenue cribrum epidermidis, necnon per ipsius membranæ pulmonaris cæca spiracula avolantem subtilissimorum effluviorum quasi nubeculam, testantibus tum ingrato indusiorum odore, tum etiam gravi ægrotantium halitu, tum maximè contagio indè utplurimùm concepto. Procedente morbo, cernis per salivales glandulas, exiguosque linguæ, gingivarum, palati, uvulæ, faucium ductus emissarios non spernendam veneficii portionem, summo quandòque cum levamine excretam? Mox etiam crassioribus ejusdem partibus ablegandis patescent renum colatoria. Tandemque exeunte morbo, humores in intestinorum cava ab adjacentibus glandulis undequâque depluentes, per alvum eliminari, solutique morbi reliquias omninò averri miraberis; & quò magis subitaneam partium tumentium depressionem noxis ac præsenti periculo famosam, reformidaveris, eò lætior gradariam earumdem detumescentiam, levaminis solatiique plenam agnosces, molecularum insensilium vaporationi tribuendam. His tot moliminibus, licet sæpiùs irritis, officii admonemur ἰσόθεοι Hippocratis asseclæ, cujus ut omnis omninò Medica theoria fuit exquisita naturæ descriptio, ita quoque Medica praxis uno cardine vertebatur, assiduâ observatione moliminum naturæ morbos impugnantis. Artis igitur erit excretionem promovere hanc illamve, prout videbitur, benignâ naturâ facem præferente. Quo quidem naturæ nomine nihil aliud intellectum volumus nisi leges humano corpori ab altâ Dei sapientiâ inditas, quibus stat solidorum fluidorumque actio reciproca, & indesinente utrorumque antagonismo, harmonia inenarrabilis.

I I I.

IN bonum corporis amicè conjurans, altera alterius vices gerit excretio. Nec ullum habetur emunctorium, definitâ orificii sui diametro ita mancipatum humori peculiari, quin sæpè aut constrictum plus justo, humorem proprium renuat, aut contrà relaxatum plus solito, alienos cogatur admittere. Et vicissim nullus habetur humor excrementius, determinatâ particularum suarum mole aut figurâ, ita addictus peculiari emunctorio, quin sæpè aut justo crassior factus, à proprio excludatur, aut contrà nimis attenuatus, per non sua diffluat excernicula. Hinc Hippocratis Aphorismus: *cutis raritas, alvi densitas.* Hinc Sanctorii axioma: *qui plus meiunt quam bibunt, parum perspirant.* Hinc Boerhaavii effatum: *si æger se noctu sudare conqueratur, Medicus verò in matulam manè inspiciens, uberiorem cernat urinam, audax asseret; at tu proximè elapsâ nocte non sudasti.* Artis Coryphæorum dogmatibus quotidiana suffragatur experientia. Sic catameniorum vices nonnunquam supplevit sudor sanguineus, aut urinæ cruentæ. Sic à refusa in sanguinem bile, nunc urinam flavo colore lintea inficientem, nunc amaram salivam, ipsumve sudorem, stupuerunt. Sic ischuriâ laborantes, aliquam urinæ partem sudoris specie exsudant; nec nunquam iisdem halitus ipse urinam olet. Sic hypochondriacis, perpetuis ferè sputatoribus, si sputum substiterit, mingunt aquosa; redeunte sputo, minuuntur urinæ. Mira profectò, quam habet Clar. Gorterus, hujusmodi derivationum observatio, humoribus ab ulcere in alvum, hinc in sudores, dein in lacrymas, mox in salivationem, denuò in alvum, ac denique in cutem incumbentibus. Sed illud præcipuè intueri juvat, quod majoribus variis cutem deturpat, virus venereum. Quid in illud ars nostra possit, cuivis è vulgo notissimum. Sæpiùs quidem ab hydrargyro, per salivæ colatoria exprimitur; idem tamen sæpè à guayaci decocto, per miliares cutis glandulas elici constat; nec infrequenter ope catharticorum, ipsam mercurii efficacitatem ad alvum determinari. Nobile sanè & appositum exemplum, quodque ad minores variolas quàm proximè referatur, quàm aptissimè congruat! Quæ cùm ita sint, propositas medentibus generales indicationes duas videre mihi videor: alteram præcavendæ à varioloso fermento infectionis humorum; alteram infectorum, quâ promptior exitus, ejiciendorum. Priorem intendere videntur plurimi (non è Medicorum grege)

qui contagii hauriendi vel minimum periculum, imò ipsam ejusdem umbram sollicitè devitant, molestissimâ quidem sedulitate nec unquam securâ, attamen matribusfamilias, ac præsertim splendidioribus, longè probatissimâ. Huic eidem indicationi operam navant qui corporis nostri humores adversùs labem contagiosam ita obfirmare præsumunt, ut ne minimam quidem moleculam in partes suas trahere queat. Grande profectò opus, periculosæque plenum aleæ! Illud ipsum tamen, suâ quisque methodo, præstitisse sibi gratulantur Lobbius & Berkleyus; dum scilicet quotquot humorum particulæ novas res molirentur, ope attenuantium idoneorum emendatæ, foràs evocabantur: quâ arte ab eximiis hisce viris præmuniti adversùs variolosam epidemiam plurimi utriusque sexûs, alii prophylacticæ medelæ minùs patientes, benigniorem tamen morbum passi sunt, alii obsequiosiores, omninò nullum. Quod ad posteriorem indicationem, plures huic subesse videntur speciales indicationes, nec unâ viâ putem posse eumdem scopum attingi; sive salivales ductus, meatus urinarios aut alia quævis colatoria laxando, versùs alterutrum derives, imiterisque per artem, quod natura, contemplante Sydenhamo, nullo verò docente, assecuta est; sive ipsum veneficium attenuando, ita corrigas, ut nihil jam impervium agnoscat, sed quaquaversùm facilè dilabatur; sic quidem punctum omne tuleris, non impetratis induciis, sed imperatâ pace, ægerque non modo exanthemata devitabit, sed etiam omni morbi recidivi metu in præsens & in posterum liberatus, ignes cineri doloso suppositos impunè jam percalcabit.

I V.

PRINCIPIIS inconcussis evidenter annexæ conclusiones, vix tamen meritam fidem invenient, nisi accedat unicum medicæ veritatis criterium experientia, suspectamque ratiocinii sagacitatem confirmet, ac sanciat castæ σοφίας periti observatoris suffragium omni exceptione majus. In febre epidemicâ, anno 1667 apud Anglos grassante & in salivationem ultrò desinente, Sydenhamus, celeberrimus ille Naturæ Antistes, dolorem quemdam notavit circà partes cordis scrobiculo subjectas, quæ manum leviter admotam non sustinerent; quod quidem symptoma nunquam sibi visum meminerat, nisi in variolis, tunc temporis etiam debacchantibus. Intensiùs igitur animum advertenti, cæteraque quàm accuratissimè pensitanti, non affinis tantùm, sed idem omninò morbus videbatur, demptis solummodò symptomatis, quæ eruptionis consectaria vel effectus essent necessarii; imò etiam coïncidentibus phænomenis omnibus quæ curationem respicerent, febris variolosæ nomine hanc insignire non dubitavit Vir præclarus, cujus non erat nova rerum nomina præter necessitatem affectare. Quin & anno subsequenti, idem iste morbus, novam personam induens (Sydenhamo fucum facere velle diceres) sine manifesto ullo febris indicio, sub diarrhϾ larvâ sese efferebat, scitè tamen tractatus facilè domari se patiebatur; at ubi perversâ medicatione irritaretur, ægros complures de medio tollebat. Nec minùs intereà persistentibus tum variolis, tum febre illâ suprà memoratâ, simul habebantur, non tres ejusdem generis species, sed (fas sit cum Botanicis loqui) tres in eâdem morbi specie *varietates.* Jam verò *accidentalis* hujusce discriminis rationem accipe. Variolosas particulas figurâ ferè simili, at non omnes æquali mole donari extrà dubium est; hinc aliæ per ductus perspiratorios facilè aufugiunt, aliæ longè patentiora requirunt excernicula. Contagium à tenuissimis est circumfuso aeri facilè permiscendis, sudor itidem à tenuibus, à crassiusculis salivatio, à crassissimis deniquè tum ubetius illud urinæ profluvium, tum etiam diarrhœa; exanthemata medias quodammodo arguunt, quæ per varios quidem anfractus ad cutis intima facilè appellentes, non tamen eâ gaudeant tenuitate quâ glandularum cutanearum ostiola porosve epidermidis superare valeant; undè primò vascula inferciunt, mox etiam iisdem erosis, utriusque tegumenti intercapedine, velut in angiportu detinentur; donec tandem facescentes in scabiem pustulæ, ruptis cuticulæ aggeribus, decidant. Porrò in exemplis superiùs allegatis, particulæ istæ vel satis tenues fuêre, ut inviolatæ epidermidis poros præterlaberentur, vel paulò crassiores quàm ut cutis emissaria vasa subirent ullo modo; vel deniquè insuperabilis in glandulis miliaribus, quâcumque de causâ constrictis, obex adfuit, dum contrà hiantibus osculis, nunc salivales ductus, nunc intestinales glandulæ, retropulsos à cute, humores ad sese invitarent. Quod autem nemo antè Sydenhami tempora, exindeque etiam perpauci animadverterunt, non ideò temerè rejiciendum; quin potiùs oculis minùs acutum cernentibus plus semel occurrisse puta. Non enim cuivis datum est morbum sic cohibitum primo intuitu dignoscêre; nec nisi perspicacioribus firmam præstat diagnosin antecedentium, concomitantium & consequentium, sollicita disquisitio. *Quamvis rarò cogitetur de hâc indicatione,* inquit magnus Boerhaavius, *casus tamen ignaro morbi Medico sæpè dedit successus probantes talem artem.* Quid si manus auxiliatrices dextro tempore præbuissent Medicorum Filii? Annon præstitisset in millibus alma Natura, quod in centenis sola ac per se præstitit?

V.

QUÆ *educere oportet, quò maximè vergunt, eò ducenda, per loca convenientia*, edidixit Hippocrates. Omni ope atque operâ promovendam variolarum eruptionem, uno ore clamant docti pariter & indocti, iisdemque non aut parciùs erumpentibus. infausta omnia portendunt. Et nos quidem, suffultam longâ experientiâ observationibusque innumeris, legem recolentes, ultrò amplectimur, ita tamen ut illius sanciendæ altiùs scrutemur causas, quarum ex ipsarum sinu exurgit distinctio prudentissima. Enimverò quid magis secundùm naturam, quàm lactis ad mammas puerperarum affluxus? Eodem temerè repercusso, quid non mali indè scaturit? Verumtamen lac à mammis, absque noxâ ullâ, arceri nunc tandem quotidianum est. Ubi nimitùm diætâ tenuiori quadamtenùs præcluditur chyloseos officina, necnon remediis idoneis procuratur lochiorum fluxus uberior, his artibus omne periculum certissimè averruncatur. Quin etiam, teste clarissimo Riverio, *lochiorum vicem saltem ex aliquâ parte supplere valet alia quædam evacuatio, ut hæmorrhagia narium, hæmorroïdes, urinæ profusio cum fuliginoso sedimento, aut sudor copiosus.* Idem propè de variolis dictum puta. Si quidem cohibeantur variolæ ad cutem prorumpentes, nec alia humoribus veneno imbutis convenientior porta recludatur, serpit contagio, universamque humorum massam quantociùs inquinat, adeòque summa rerum quàm maximè periclitatur. Si verò per quodlibet excerniculum abigi patiens, variolarum materies ita penitùs exhauriatur, ut ulteriori contaminationi desit ansa omnis, absque eruptione salva res erit. Cautè tamen cum versipelle morbo mercandum censemus, nec nisi lento gradu, circumspiciendoque in omnes insidias, procedendum. Audendo nonnunquam, cunctando utplurimùm, ritè provehitur res medica. Tempori studendum, occasioni serviendum. Lætæ spes segetis in prospectu ecce adest: exculto per Sydenhami sudores humo, semini mandavit Boerhaavius; latentes adhucdum in culmo turgidulo spicas fovemus anxiè; felix heu nimiùm, qui maturam in horrea messem coget! Falcem jam parat (fortè paulò confidentior) Lobbius, specificamque variolosæ labis correctionem ab *Æthiope minerali* aliisque pulveribus quibusdam, pro re natâ adjunctis, spondet. Re quidem ipsâ, contagio huic quod tam parvâ mole susceptum, reliqua parit phænomena, oppositum *specificum* (ut vocant) in stibio præprimis & hydrargyro, ut quæramus, invitat aliquis horum aliquandò successus. Sed nec minùs prospero eventu, memoriâ nostrâ, adhibitam generalem illam, per laxantia & antiphlogistica, therapeusin, idonei testes sunt.

Ergò nonnunquam absque eruptione, Variolarum morbus.

DOMINI DOCTORES DISPUTATURI.

M. Petrus Lalouette.

M. Josephus-Maria-Franciscus de la Sône, Censor Regius, Regiæ Scientiarum Academiæ Socius, & Chirurgiæ Gallico Idiomate Professor.

M. Joannes-Claudius-Adrianus Helvetius, Regi à Sanctioribus Consiliis, Reginæque Medicus Primarius, & Regiæ Scientiarum Academiæ Socius.

M. Silvester-Antonius le Moine.

M. Julianus Busson.

M. Jacobus-Benignus Winslow, Censor Regius, Regiæ Scientiarum Academiæ, Regiæque Societatis Londinensis Socius, Teutonicæ Linguæ Regius Interpres, & in Horto Regio Anatomes & Chirurgiæ Professor.

M. Petrus-Josephus Macquer, Regiæ Scientiarum Academiæ Socius.

M. Petrus Bercher, Scholarum Professor.

M. Antonius Pepin, Regis Consiliarius & in Portu Brestensi Medicus Primarius.

Proponebat Parisiis JACOBUS BARBEU DU BOURG, Cenomanensis, Saluberrimæ Facultatis Medicinæ Parisiensis Baccalaureus, A. R. S. H. 1747, à sextâ ad meridiem.

Typis QUILLAU, Universitatis & Facultatis Medicinæ Typographi, 1747.